

nunquam putarimus. Simus igitur ea mente, quam ratio et veritas praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum praeter culpam putemus; eaque cum careamus, omnia humana placate et moderate feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur. Sed si est spes aliqua rebus communibus, ea tu, quicumque status est futurus, carere non debes. Atque haec mihi scribenti veniebat in mentem, me eum esse, cujus tu desperationem accusare solitas esses, quemque auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram, sed consilium improbavam: sero enim nos iis armis adversari videbam, quae multo ante confirmata per nosmetipsos erant; dolebamque pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus nostris de jure publico disceptari. Neque ego ea, quae facta sunt, fore cum dicebam, divinabam futura; sed quod et fieri posse, et exitiosum fore si evenisset, videbam, id ne accideret timebam: praesertim cum si mihi alterumutrum de eventu, atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod evenit, exploratius possem promittere. His enim rebus praestabamus, quae non prodeunt in faciem: usu autem armorum, et militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe quaeso, quo me tum esse oportere censebas. Haec eo scripsi, quod mihi nunc Philargyrus tuus omnia de te requirenti fidelissimo animo, ut mihi quidem visus est, narravit, te interdum sollicitum solere esse vehementius: quod facere non debes, nec dubitare, quin, aut aliqua republica sis futurus, qui esse debes; aut perdita, non afflictiore conditione, quam ceteri. Hoc vero tempus, quo exanimati omnes et suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in urbe ea es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitae; et habes Servium Sulpicium, quem semper unice dilexisti, qui te profecto et benevolentia, et sapientia consolatur: cujus si essemus et auctoritatem,